

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Prorector Academiae Fridericianae Christianus Thomasius
Ictus, Consil. Regius, Nec Non Dvc. Saxon. Intimus, Jvrivm
Professor Ordinarius Una Cum ...**

Thomasius, Christian

[Halle, Saale], [1708?]

VD18 11269820

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:33-1-195929](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:33-1-195929)



41, 6, 5



post Budd. meditationes, et styl. in sinar.
 1. Wald de arcibus Ruth. d. Pauli jagge
 2. Breit. vng. prop. Ruth. d. Pauli jagge
 Hoffm. Bohmer. CB. Michaelis. Albert.
 3. Hoffm. Bohmer. CB. Michaelis. Albert.
 Hoffm. Bohmer. CB. Michaelis. Albert.
 4. Hoffm. Bohmer. CB. Michaelis. Albert.
 5. Hoffm. Bohmer. CB. Michaelis. Albert.
 6. Hoffm. Bohmer. CB. Michaelis. Albert.
 7. Hoffm. Bohmer. CB. Michaelis. Albert.
 8. Hoffm. Bohmer. CB. Michaelis. Albert.
 9. Hoffm. Bohmer. CB. Michaelis. Albert.
 10. Hoffm. Bohmer. CB. Michaelis. Albert.

16
PR ORECTOR
ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ
CHRISTIANVS

THOMASIVS
ICTVS, CONSIL. REGIVS, NEC NON
DVC. SAXON. INTIMVS, IVRIVM
PROFESSOR ORDINARIVS

UNA CUM
PROFESSORIBVS RELIQVIS
CIVES ACADEMICOS

AD
DOMINI NOSTRI JESV CHRISTI
NATALITIA

DIGNE CELEBRANDA
OMNES AC SINGULOS HORTATVR ATQUE
INVITAT.

omnes ac singulos hortatur atque
invitat.



JUSTITIAM, ET PACEM, ET GAUDIUM IN SPIRITU SANCTO!

Verifica hominibus veri & solidi gaudii causa atque materia CHRISTUS est. Quemadmodum enim capitis damnatum exhilarare nihil valet, quamdiu supplicii formido in animo residet: Ita posteaquam homines lapsu Protoplastorum facti sunt aeternae mortis rei, integrum iis non est, gaudere gaudium genuinum, quod in ipso vigeat cordis & animae penetrati, nisi exitii metu liberentur, inque beatitatis perennis spem certam erigantur. Id quod neque sibi quemquam a se ipso, aut ab homine alio culpae socio, aut a creatura vlla, quantumvis excelsa sanctaque, fas est polliceri, neque is, qui forte sibi temere polliceatur, vnumquam obtinebit. A CHRISTO autem solo id ipsum & recte speratur, & nisi quis sua sibi defuerit ἀπιστία, certissime impetratur. Hunc enim Deus dedit, ut omnis, qui credit in Ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam (Joh. III, 16.). Et non est in alio vlllo salus (Act. IV, 12.). Non potest itaque non vanum & inane gaudium esse, quod Christus non efficit, aut in vera animi cum Christo coniunctione non percipitur. Eiusmodi enim gaudium mortis aculeum ex animo hominis peccatoris neutiquam revellit; sed hominem quidem ludificat, malum autem & miseriam ejus non tollit, sed auget. Istiuc qui consideraverit, facile animadvertet, quam sit falsum etiam illud Senecae: *Summa sapientiae; sibi fidere, contentum esse semet ipso, & de se nascentibus bonis.* Enimvero adversus omnem, utut maximo studio affectatam, animi tranquillitatem, & contra quamlibet, ingeniosissime licet quaesitam, cordis latitiam, stat semper animus in ipso naturalis quietis studio irrequietus, & semet ipso, ac de se nascentibus bonis nunquam, nisi forte insaniat aut illudatur, contentus. Vere beatum e contrario sibi que constans gaudium est, quod non nisi Christo acceptum refertur, eo, quod hic solus tum timorem interitus, ceu causam tristitiae profundissimam, ipsique, cui inest, homini saepius ignotam, ex animo auferat,

ferat, tum credentibus certam vitæ æternæ spem faciat, quæ lætitiæ causa optima iustissimaque jure ac merito censetur. Unde discimus id quoque, hanc potius esse veram, errori profanæ gentilitatis oppositam *Summam Sapientiæ; Christo fidere, contentum esse Christo, & de Christo nascentibus bonis.*

Quod isthæc, *Cives Academiae dilectissimi* ita sese, ut dictum est, omnino habeant, ipsi dies, quos in piam Natalis Domini nostri Jesu Christi memoriam nunc celebratum imus, facile vos admonebunt. Nam pericope Evangelica Cap. II. Lucæ comprehensa, dum in eo versatur, ut, quæ Nativitatem Christi circumstant, exponat, veri gaudii originem juxta & materiam CHRISTVM esse, luculentissime testatur. Angelus enim Dei, quum pastoribus, in agro Bethlehemitico excubantibus, ingentem subito lætitiæ objecturus esset, hisce eos compellasse verbis legitur: *Hodie natus vobis est Servator, qui est Christus Dominus in urbe Davidis.* Manifestum igitur est, Legatum huncce cælestem Gaudium illud magnum, cuius se pastoribus præconem præbuit, ad Christum vnice retulisse, & isthunc quidem, illo ipso die prognat. Nam populus Dei adhuc spe venturi Messie se sustentauerat, ejus desiderio flagrauerat, omni patientia eum expectaverat: at vero, quum jam ille natus esset, inque cunabulis cerni posset, præterierat tempus Spei, Desiderii, Patientiæ piorum; Illuxerat autem exoptatissimus dies Gaudii, quod in bonum præsens effunderetur, ac Deum in carne revelatum complecteretur. Gaudium vero isthuc ad brevissimam illam temporis periodum, qua oculi mortalium Christum, in carnis infirmitate, existentem, conspicati sunt, haudquaquam religandum nobis est. Nam ut omne tempus, quod Natalem Christi antegressum est, ab iis, qui verbo Dei fidem habuerunt, in spe, desiderio & expectatione Christi tanquam *veri solatii Israelis* (Luc. II, 25. Jer. XIV, 8.) consumendum fuit: Ita Gaudium, quod Christus in plenitudine temporis apparens attulit, omnem sibi vendicat ætatem subsequentem, & quum *regni ejus finis futurus non sit*, (Luc. I, 23. Dan. VII, 14. 27.) ipsam ingreditur æternitatem, ut sicut tandem *χαρὰ ἀνεκλάλητος καὶ δεδοξασμένη* (lætitia ineffabilis & gloriosa 1. Pet. I, 8.) euadat permaneatque.

Quod si igitur Christiani audire, nec ipso, quo insignimur, nomine, indigni censi velimus, Gaudium illud Magnum, quod Angelus Dei adnuntiatur venit, non minus ad nos pertinere, quam

ad pastores Bethlemiticos, existimemus; atque illam demum veram, solidam ac solam habeamus letitiam, quæ ex gratia Christi capiatur, ac fundata in Christi erganos amore, quasi in sinum ejus grato animo refundatur. Neque respiciamus prava aliorum exempla, qui animi luxuria & inconstantia modo ad hæc, modo ad illa vana atque sterilia gaudia propelluntur, & quo magis eorum pollutæ sunt mens & conscientia, eo magis sanctarum animarum puras atque castas delicias rident & averfantur. Hi ipsi vero non nisi falsi gaudii umbram cupiditate vaga consecretantur, quæ, si attingi ab iis videatur, cito evanescit, & quod peius est, primum iis quasi somnio thesauros portendit, at, postquam sensus rationemque probe delusit, in animæ fundo perturbationem, fastidium, pœnitudinem doloremque, ac pro levicula sepius voluptate damna innumera gravissimaque relinquit, compluribus æternum etiam exitium parturiens. De talibus optime Bernhardus: *Gaudent in cibis, gaudent in pompis, gaudent in divitiis, gaudent & in vitiis homines, sed luctus extrema occupat.* Quid? quod si quis etiam prodeat, qui jactitet quidem, se sua solide aliquando gaudium esse gaudia, animoque summam, quæ cogitari possit, cepisse voluptatem, & suam præterea latandi causam in re non inhonesta sibi accidisse arbitretur, attamen gaudium illud, quod a Christo proficiscitur, nondum gustaverit: næ is veri & genuini gaudii expers & exfors etiamnum habendus fuerit. Etenim quod Judæorum magistri dixisse perhibentur; ** quicumque non vidit letitiam propter hausionem aque* (in festo die *ἐκ τῆς ὕδατος*) *non vidit unquam letitiam ullam*: id nos verius ad rem præsentem hunc in modum accommodaverimus; *quisquis ex fonte salutis (Christo) aquas cum letitia non hausit, (Ies. XII, 3.) siue gaudium, quod Christus animæ creat, nondum expertus est, is nescit, quid sit vera, viuida, & in qua mens immortalis placide & beatè acquiescat, letitia.* Quem in sensum rectissime Augustinus ait: *nemo se credat aliquod verum gaudium in hoc sæculo possidere: verum in hoc mundo gaudium nec fuit, nec est, nec esse poterit. Ne quis autem conjungi & quasi permisceri gaudia mundana cum celestibus posse falso in animum inducat, idem Augustinus merito audiendus est, quando, inquam, inquit, gaudetur in hoc sæculo, non gaudetur in Domino; quando gaudetur in Domino, non gaudetur in sæculo. Et alibi: Nemo in hoc sæculo potest gaudere, & in Domino: multum inter se hæc duo gaudia differunt, suntque omnino contraria.*

Intelligitis haud dubie, o Nostri! ad quod & quale gaudium in præsentia Vos invitatum eamus. Agite dum ergo, quoscunque

* Lightf. Hor Heb. ad Joh. VII, 38

vestrum veneratio Numinis non cohibuit, quo minus turpia in pe-
ctore gaudia adhuc versaretis; quotquot gaudiis illicitis & inho-
nestis vestras inquinare conscientias veriti non estis, (o utinam nul-
li eiusmodi neque hic nec alibi invenirentur!) missa, quaesumus vos,
ea facite, ac, vere serioque resipiscentes, execramini ea ac detestami-
ni. Quin juvenilia etiam illa gaudia, quæ forte nonnulli inhonesta
non ducunt, at quæ talia tamen sunt, ut mentem feriis, nedum cæ-
lestibus, intentam minime deceant, sed ei potius haud mediocriter,
officiant, abjicere penitus & abdicare ne recusetis. Quidam enim in-
res superuacuas, ludicras, otiosas effusi, dum se nihil mali agere au-
tumant, interim distinentur illis quasi laqueis irreti, quo minus ad
verum ac solidum, quod ex pace conscientie radicescit, gaudium ad-
spirent. Regno enim Dei per Christum in hominum animos consti-
tuendo, quod est *justitia & pax & gaudium in Spiritu Sancto*, (Rom. XIV,
17.) cum intemperie illa, rerum levium & ineptiarum amore, profano
otio, iisque omnibus, quæ isthuc comitari solent, nequaquam con-
venit.

Quare nunc animos & mentes vestras adhibete, ac percipite,
quibus vitæ vestræ auctor Deus vos compleri gaudiis peroptet. Iussu
enim eius ac mandato

MAGNUM GAUDIVM VOBIS EVANGELI-
ZATUR:
NATIVS VOBIS EST SERVATOR, CHRI-
STVS DOMINVS.

Euangelium hocce dum legendum oculis, audiendum auribus,
cogitandum animis vestris objicitur, cavete etiam atque etiam,
ne funestus, homineque ad caelestia nato plane indignus stupor,
mentes occupet vestras, qui vos ad attendendum huic nuntio ineptos
reddat. Quantus enim & quam execrabilis ille stupor foret, si rem-
tantam, & in qua salutis vestræ cardo vertitur, susque deque habere-
tis? Et quis non vecordes atque amentes dixerit eos, qui Deo se ad
illos miseros servandum ac ab interitu vindicandum comparante, Fi-
lium Unigenitum ad eos ablegante, incredibili modo ad eos se demit-
tente, per Angelum expromptam paratamque salutem iis prædicante,
eandemque per Filium perficiente, per Spiritum Sanctum obsignante,
per servos suos & scriptis offerente, denique Numine amantissi-
mo nihil non agente, ut eos æternorum gaudiorum redderet partici-
pes,

pes, qui, inquam, interim, quasi isthæc omnia ad se nihil attinerent, aliud agerent, aliisque curis, immo nugis & sordibus intenti essent. Absit! *Dilecti!* ut tales vos nunc aut in posterum Deus Opt. Maximus, qui benignissimus quidem est, sed habet *ἐκδικον ὄμμα*, unquam deprehendat. Si vel maxime autem hic ipse dies nonnullos vestrum se- gniores ac negligentiores, immo suæ salutis plane incuriosos com- prehenderit, saltem, ut nunc id emendetur, peroptamus. Tam ex- optabilis enim latusque cunctis esse debet huius diei nuntius, ut, quorumcunque subierit animos, eos merito immutet totos ac trans- figuret.

Quamobrem, si quidem consilio, si prudentia ulla res vestras videri velitis gubernare, agite dum ipsi considerate, haud levis rem esse momenti, quod ab ipso Deo ad Gaudium Magnum tam benigne, tam suauiter ac liberaliter vocemini. Omni sane jure Magnum id atque Ingens Gaudium dicitur, quod omnem noui fœderis gratiam & vniuersa futuri sæculi bona annexa sibi habet continetque. Et Ma- gnum merito illud audit eo etiam respectu, quod paruum, immo ni- hil sit humanum omne ac naturale gaudium, ad illud si comparetur: quippe quod *nec oculus hominis vidit, nec auris audiuit, nec in mentem ullius unquam venit, quod Deus suis præparauit amatoribus* (1. Cor. II, 9.). Vere utique Magnum est, etiam si non ad sensus, saltem non semper, illa- batur. Dicitur enim ab Apostolo gaudium, non quod sensus adficiat, sed *in Spiritu Sancto* (Rom. XIV, 17.). Magnum est in hujus etiam vitæ fideique curriculo, eo quod in re versetur magna, salute æterna, fundamento innitatur magno, Jesu Christo, ab amore magno, Patris videlicet Filium Unigenitum mundo largientis, indulgeatur, tan- dem etiam magnis alatur promissionibus. Apparebit vero etiam, magnum aliquando, quum remotis malis omnibus, terque quater- que, seu potius modo infinito, beatos reddet singulos, qui nunc fi- de, sub mysterio Crucis, id complecti non recusauerint.

Quæ quum ita sint, quis felicior? quis beator erit vobis? id si im- petraveritis. At integrum vobis est, id impetrare. Eodem enim di- vini Legati Euangelio, quo gaudium illud omni populo, hoc est, cuilibet remere id non repudianti, spondetur, simul etiam *Servator, Christus Dominus*, gaudii illius Auctor, immo præbitor etiam & mini- ster (o charitatem!) præsto adesse indicatur. Vos autem qui doctri- næ Christianæ a puero innutriti estis, non ignoratis, Servatorem il- lum non modo in orbem introiuisse, ac Bethlehemi natum esse, sed
etiam

etiam postea, ad expianda totius mundi peccata, in ara crucis oblatum, e mortuis resuscitatum, in gloria receptum fuisse, inque hac ipsa gloria esse rediturum, ut viuorum mortuorumque se iudicem sistat.

Horum itaque quum nihil vos nesciatis, jam non superest aliud, nisi vt caueatis vobis, ne aduersus ipsum Christum, salutemque ab eo vobis partam, quasi dedita opera, tendatis & nitamini, & ne cum hoste, ad quem debellandum Christus hominem adsumsit, contra Christum veniatis. *Quis hoc auderet?* dicetis forte. Vtique isthuc faciunt omnes, qui id amant, agunt, fouent, eique inhærent, quod Christus odit, & ad quod dissoluendum ac destruendum is aduentauit. Tales vero, quamdiu præfracte adeo Spiritui S. resistunt, & gratiæ Christi ipsa peccandi assiduitate obicem ponunt, ne ipsa quidem Salus iuuerit. Idcirco, peccatorum sordes, omnemque *ἀνομιάν* odisse & execrari, male admissorum pœnitere, deprauatum corruptissimumque animi habitum agnoscere, persentiscere, dolere, Seruatorem, desiderio, non simulato, sed serio profundoque, desiderare, amor rerum mundanarum dicere vale vnumquemque oportet, qui Christi particeps ac salutis æternæ compos reddi velit.

Non negatum quidem imus, supra naturæ vires positum esse, vt quis tali animo ad Christum accedat: veruntamen isthæc hominis *ἀδυναμία* ne moras quidem rei maxime omnium necessariæ injicere, nedum, vt plane omittatur, efficere debet. Etenim ipsa miseria nostra & intima corruptio, Dei benignitas, quæ nos illa conditione misera exsolvere cupit, Christi in nostram miseriarum vallem descendentis amor immensus, gratiæ Noui Testamenti adnuntiatio solemnitas, iterata toties totiesque ad eandem gratiam vocatio, & cum promissionibus eximiis coniuncta invitatio, quin etiam tot miserorum, non rejectorum a Christo, sed benigne receptorum, exempla ad preces nos perpellere debent, quibus id omne a Deo impetremus, quod opus & necesse nobis est, vt rite ad Christum accedamus.

Si hoc pacto commonstratam ingrediamini viam, & ipsa præueniens Dei gratia ultro vobis opitulabitur, & Seruatorem ipsum facile in vestra pellicietis vota, ut suo vos adnumerare populo, gratia donare, salute beare amantissime dignetur.

Scribuntur hæc Vobis, *Cives Academici!* non vt receptæ duntaxat consuetudini inserviat, aut dicis causa, sed coram facie Jesu Christi. Vos jam cogitate, quid non modo per præsentis dies festos, sed

sed

sed per omnem vitam vestrarum partium, vestrique sit officii. Certe, si unquam, nunc vos decet in hac re gravissima *σπράζειν* & omnia serio agere. Namque ille ipse, quem infantem nunc contemplamur, Judex mox erit severissimus; eique meritas dabunt pœnas, qui salutem ab eo benignissime oblatam despectui ac ludibrio habuerint. Contra autem ii omnes, qui salutaribus obsecundantes monitis, corde contrito ad Christum accedere, & fide non fucosa complecti eum haud neglexerint, re ipsa & experiundo cognoscent, *unicam*, quod initio diximus, *veri atque solidi gaudii causam atque materiam Christum existere*. Hi quoque soli ad veram pertingent *Sapientiam*, ejusque *Summam ipso usu in eo sitam esse*, deprehendent: *Christo fidere, contentum esse Christo, & de Christo nascentibus bonis*: utpote in quo *reconditis omnes sapientie ac scientie opes* invenient (Col. II, 3.).

Si qui autem sunt, (nam esse minime dubitamus,) qui ad hæc Gaudia & ad Sapientiam hanc justo tramite contendant, atque animum vera & viuida fide Christo addixerint, eos pariter monemus atque hortamur, ut omni studio eos se constanter præbeant, quorum e verbis, actionibus, vitæ instituto ac tenore omni eluceat, se a gaudio, quod Christi expers sit, esse alienissimos, nec sapientiam a se agnoscere, cuius *Christus non sit Alpha & Omega*. Hi ipsi insuper sibi maxime opere caueant, ne, quod diuina indulget gratia, id sua ipsis incuria in posterum interceptum.

Ita cuncti, ut Christi populo dignum est, sancta Christi Natalitia sancte concelebrate. *Si quis Jesum Christum non amat, sit anathema! Marin atba. (esto detestabilis! Dominus venit.)* P. P. Halæ in Vigiliis Natalitatis Ao. MDCCVIII.

TYPIS ORPHANOTROPHIL.

W 18

